

rona; tien se ne mentino. El vene fora el Aurichalcho, che lezeva a Padoa, e uno canonico di Megii con il cardinal, quali ne feno bona ciera; non ne osò tochar la man, rispetto alcuni todeschi erano con loro. Scrive, questi nostri oratori non mancano in cossa aleuna, *nec alia etc. Post scripta.* È zonto aviso dil zonzer le trieve con l' Imperador, e doman diese publichar. Scrive, doman, do ore avanti zorno, si leverano de li con il cardinal e oratori tutti per vegnir in campo; anderano a disnar a Soave. Et per avisi hanno dil cardinal, li franzesi sono retrati adriedo assai di le cosse di sguizari; spera tutto succederà bene per quello à dito li oratori ozi poi cena; e zonti in campo, tutti dieno passar per unirse con sguizari, quali aspetano a Villa Fran-cha etc.

Data a hora prima di note.

147 *Exemplum litterarum regis Angliae
ad cardinalem Angliae Romae existentem.*

Henricus Dei gratia rex Angliae et Franciae et dominus Hibernie reverendissimo in Christo patri m... d... chr... Sanctae Praxedis presbytero cardinali, tanquam fratri nostro dilectissimo S. P. D.

In proximis litteris dignitas vestra reverendissima certiores nos fecit Sanctum Dominum nostrum decrevisse propter magnas necessarias causas incipere generale Concilium paulo post Pascam, et ob id desiderare nostros oratores, qui ad præfatum Concilium venirent. Significamus igitur dignitati vestra reverendissimæ oratores nostros fuisse ad hoc deputatos et ad iter præparatos; sed die Sancti Georgii proxime præterito intelleximus de conflictu Ravennæ commisso die Pascatis inter exercitum Sanctissimi Domini Nostri, regis Catholici carissimi patris et gallos, et de magna effusione sanguinis illie facta et occisione capitaneorum exercitus gallici, et de captivis et reliqua crudelitate qua galli usi sunt. Quæ nova supradicta ita incerta hue venerunt, ut adhuc veritatem ignoremus; aliqui enim affirmant vicem regem esse captum et universum exercitum esse destructum; aliqui scribunt omnes maiores capitaneos exercitus gallorum aut occisos esse aut mutilatos; aliqui denique asseverant quod, quamvis galli victoriam reportaverint, plus tamen damni eis est illatum. Ab aliis intelleximus vicem regem esse salvum cum magno numero peditum simul et equitum, et Helvetios declarasse se hostes gallis in defensione Ecclesiae, et Doninos Venetos bonum exercitum ad eundem effectum præparasse, et Sanctissimum Do-

minum Nostrum vires suas refecisse ut conjungantur cum vicerege. Intelleximus, quod præterea septem milia hominum descessisse ex Hispania ad vicem regem et regem gallorum revocasse exercitum suum ex Romandiola; et Ravennam cum aliis civitatibus Romandiola crudeliter spoliatas fuisse, et cardinalibus schismaticis fuisse deditas, cum nonnullis alii fabulis, quibus fidem nullam adhibemus. Et hæc fuere causa qua oratores nostros adhuc non misimus, considerantes illas tres sessiones, de quibus dignitas vestra reverendissima nos certiores fecit, jam esse finitas, nec oratores nostros ante finem illarum isthuc pervenire potuisse. Verumtamen, in ista adversitate fortunæ et fabularum varietate, nos nequaquam mutavimus sententiam Ecclesiae defendendæ et Sanctissimum Dominum Nostrum protegendi; sed ut incepimus ita re vera perseverabimus, et dignitati vestræ reverendissimæ significamus classem nostram VI millium hominum esse nunc in mari optime et validissime instructam et comeatu et tormentis, quæ classis nostra coepit jam duodecim naves britonum et gallorum, et alium exercitum vero continentem duodecim millia hominum præparatum ad iter contra Guiennam et Guasconiam, ut ibi se conjungat cum majori exercitu patris nostri regis Catholici, cui 147* in partim nos stipendia solvimus. Est nunc apud naves consensurus, et nos credimus nunquam visum fuisse valentiorem exercitum pro tanto numero, neque magis animatum ad moriendum in defensione Ecclesiae et Sancti Domini Nostri, cum indulgentia quam Sanctus Dominus Noster ad nos misit mirifice illos concitaverit aduersus hostes Ecclesiae, quos turcas, haereticos et infideles iudicant. Nos igitur, favente Deo, credimus quod hic exercitus noster optime se gerat et reprimet militiam et tyrannidem illorum, qui per fas et nefas opprimunt Ecclesiam Dei et favent magno schismati, quod effectum sortiretur nisi catholici principes ei resisterent. Quia in re nos nunquam quantum in nobis erit deerimus, et volumus ut dignitas vestra reverendissima verbis nostris consoletur Sanctum Dominum Nostrum, et sanctitatem eius roget ne christianissimum animum suum disponat, sed in Omnipotenti Deo et adiutorio maioris partis bonorum principum christianorum confideat, qui et debent et volunt ita se unire aduersus hostes Ecclesiae ut non possint evitare quin subiugentur et vincantur. Nam nos in præsentiarum personaliter cum omni potentia nostra hostes Ecclesiae aggrediemur, quamobrem si Sanctus Dominus Noster et pater noster Rex Catholicus et alii volent facere quod nos faciemus,